



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 4. Exponuntur errores Semipelagianorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

num lib. de gestis Pelagii, cap. ult. ubi hæc ejus propositio refertur: *Quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei.* Cum enim simpliciter ait, *Si indigeat auxilio Dei*, non verò, *Si indigeat auxilio Dei* dominante, determinante, irresistibiliter flectente & applicante, manifestè videtur significare, rationi & essentia liberi arbitrii repugnare, quòd ad volendum & agendum immediato Dei adjutorio indigeat, qualecumque tandem sit, & quantumcumque etiam ex se repudiabile & frustrabile esse supponatur.

Ratio autem ita sentiendi Pelagianis hæc sanè fuit, quòd crederent de ratione & essentia liberi arbitrii esse, quòd plenum habeat dominium in actus suos, plenamque potestatem de illis disponendi: unde Pelagianus apud Hieronymum dicit: *Destruitur voluntas, quæ alterius ope indiget*: cum enim sic loquitur, nomine voluntatis intelligit actum, planè suum potentia illum elicientis; quia potentia illum eliciens, illi planè dominatur, de illoque planè potest disponere, illum pro arbitrio producendo, vel non producendo, aut productum destruendo. Quia autem cum pleno illo dominio potentia in actus suos, plenamque potestatem de illis disponendi, Pelagiani credebant conciliari non posse indigentiam adjutorii divini, præsertim gratiæ & indebiti, quod proinde Deus pro arbitrio suo dare potest, vel denegare, aut datum subtrahere, talis adjutorii, præsertim cum ab illius assertoribus gratuitum & indebitum esse prædicaretur, necessitatem, ut liberi arbitrii everfivam, rejiciebant; quoniam, ea semel admissa, non nos actuum nostrorum domini essemus, sed ipse solus Deus dominus esset; nec de actibus nostris disponderemus, sed ipse solus Deus disponderet; nec denique actus nostri nobis, sed soli Deo attribuerentur; quandoquidem adjuvante Deo, illos poneremus; non adjuvante, non poneremus. Hoc dicit Pelagianus apud Hieronymum in epist. laudata: *Si nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera, ejus est omne, quod gesserò; ergo non ego, qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilio.*

Pelagianis respondebat S. Augustinus, 1. Liberum hominis arbitrium per Adam prævaricationem sauci-atum fuisse, & ita sauciatum, ut jam non possit cum sola illustrationis gratia bonum velle & agere, sicut oportet ad salutem. 2. Et ita jam liberum hominis arbitrium bonum sicut oportet ad salutem velle & agere non posse, sine novo interioris gratiæ auxilio immediatè se tenente ex parte ipsius facultatis volendi. 3. Sicque nunc neminem unquam bene velle & agere sicut oportet ad salutem sine interioris gratiæ adjutorio, quo facultas volendi ad bene volendum & agendum immediatè adjuvetur, vel, ut loquitur S. Doctor, quo adjuvetur voluntas seu volitio, & actio. 4. Catholicos per necessitatem hujus adjutorii, quo adjuvat Deus volitionem & actionem in eo omni, qui re ipsa bene vult & agit sicut oportet ad salutem, nullatenus officere libero arbitrio, sed potius illud statuere, cum per tale adjutorium non tollatur, sed potius restituitur liberum arbitrium; quia per illud indifferentia activa non perimitur, sed completur & perficitur: nam bene volendi & agendi potestatem dat, non necessitatem imponit: non enim voluntatem antecedenter & irresistibiliter alligat ad unum, sed sanat & corroborat: sanat autem & corroborat voluntatem, illam delectando de bono, cuius est amor indeliberatus: denique illam sic delectat, ut re ipsa ex propria determinatione, & absque antecedenti ad unum alligatione, bonum velit & faciat, sicut ad salutem oportet.

Audiamus S. Augustinum lib. de spir. & litt. cap. 30. ubi sic loquitur: *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur nisi libero arbitrio, sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio anime à vitio*

peccati, per anima sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitia dilectio, per justitia dilectionem legis operatio. Ac per hoc sicut lex non evacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides imperat gratiam, qua lex impletur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua justitia liberè diligitur.

ARTICULUS IV.

Exponuntur Errores Semipelagianorum.

§. I.

Admiserunt quædam initia justitiæ & salutis, quæ in nobis essent ex nobis, hoc est, quæ in nobis essent ex solis arbitrii nostri viribus, & nulla interiori gratia præventis, nempe fidem inchoatam, orationem, desiderium sanitatis & salutis, cum quibuldam conatibus assurgendi è cæno peccati, & actus virtutum exercendo. Per hæc justitiæ & salutis initia, ut asseriebant, ex solius naturæ vigore credimus nos salvari, & sanari posse per Christum; credentes desideramus sanitatem & salutem illam per Christum adipiscendam; desiderantes ad illam admittimur; frustra per solas naturæ vires adnitescentes, medicum animarum & salutis authorem Christum imploramus; credentes autem, desiderantes, adnitescentes, implorantes, primam gratiam utcumque promeremur, & infallibiliter obtemus. Ex qua doctrina sequebatur, primam gratiam non dari gratis, sed utcumque debitam reddi bonis quibuldam actibus, ex solis viribus liberi arbitrii elicitis. Quare hi, quorum hæc doctrinam exponimus, Semipelagiani dicti sunt, utpotè ex parte consentientes Pelagianis; nam ab illis dissentiebant, & sese discernebant in eo, quòd fatebantur animæ curationem à peccato, à concupiscentia, & ab ignorantia expectandam esse à gratia, item bonorum operum seu virtutum non solum profectum, sed etiam initium, atque mandatorum divinatorum observantiam, quibus promeremur vitam æternam, à libero arbitrio, utpotè per originale peccatum sauciato & infirmato, esse non posse sine adjutorio interioris gratiæ voluntatem immediatè prævenientis, excitantis, & roborantis.

Probantur autem hæc omnia ex Fausto Semipelagiano, qui lib. 1. de lib. arb. c. 17. sic ait: *Ita se duo ista conjungunt, attrahentis virtus & obedientis affectus quomodo si eger aliquis assurgere conatur, & facultas animum non sequatur, & propterea sibi porrigi dextram deprecetur. Exclamat voluntas, quia sola per se elevari nescit infirmitas. Ita Dominus invitat volentem (ex solis arbitrii viribus,) attrahit desiderantem (ex solis arbitrii viribus, erigit adnitem) (ex solis arbitrii viribus.)*

Ex Epistola Hilarii ad Augustinum, ubi hæc de Massiliensibus referuntur: *Id conveniens asserunt veritati, vel congruum predicationi, ut cum prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis annunciat obnata salutis occasio, eo merito, quo voluerint, & crediderint à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis sue consequantur effectum. Et infra: Quod dicitur: Crede & salvus eris: unum horum exigi asserunt, aliud offerri: ut propter id, quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur, deinceps tribuatur. Unde consequens putant, exhibendum ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate conditoris (non gratia redemptoris) concessum est; & nullam ita depravatam, vel extinctam putant, ut non debeat, vel possit se velle sanari: propter quod vel sanetur quis à sua, vel si noluerit, cum sua agitudine puniatur: nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, qua tantum medicum querat, non autem quicquam ipsa jam valeat (ad sanitatem scilicet & salutem per se consequendam).... Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & supplici voluntate unumquemque agrotum velle sanari.*

Ex

Ex S. Augustino, qui de Semipelagianis hæc scribit lib. de dono persev. cap. 23. *Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse à nobis; non dari nobis ut petamus, quæramus, pulsemus; & hoc esse dicunt, quod gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus. Idem de iisdem loquens lib. de præd. Sanct. sic ait cap. 2. Putant ex nobis esse fidei capium, & ex Dei esse fidei supplementum. Dixerat cap. 1. Pervenierunt isti fratres nostri ... ut credant cum Ecclesia Christi peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum, nec ab isto malo nisi per iustitiam secundi hominis aliquem liberari. Pervenierunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quemquam sufficere posse consentiant. Ex his autem omnibus testimoniis, quæ allegamus, simul junctis, jam habentur ea omnia, quæ Semipelagianis hæcenus attribuimus.*

Porrò ex occasione textus ultimi, obiter observo nonnullos esse qui Semipelagianos in duas classes dividunt, & dicunt, ex eis alios prævenientis gratiæ etiam ad bona opera incipiendâ necessitatem confessos esse, alios verò negasse. Sed hæc conjectura caret sufficienti fundamento, eique apertè contradicit S. Augustinus verbis proximè citatis, quibus de Semipelagianis, nullo inter illo factò discrimine, simpliciter asseritur, quod fateantur, neminem sine adjutorio interioris gratiæ prævenientis, ullum opus bonum vel incipere, vel perficere posse. Quod iterum testatur cap. sequenti. *Nemo, inquit, sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcumque opus bonum: quod jam isti fratres, sicut vestra scripta indicant, verum esse consentiunt: unde in omni opere bono & incipiendo & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est.*

Quare cum Semipelagianii apud Prosperum in epistola ad S. Augustinum dicunt, pari momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes movere; item: *Ad obedientiam mandatorum Dei homines posse suam dirigere voluntatem, & bona appetere;* intelligendi sunt de nudo desiderio, & conatu exercendi bona opera, & obediendi mandatis divinis; aliudque nihil voluisse dicendi sunt, quàm nos ex solis viribus naturæ, & absque interiore gratia præveniente, habere posse utiliter ad salutem nudum desiderium, nudumque conatum exercendi bona opera, & obediendi mandatis Dei; magnum autem, quod probè norant Massilienses, discrimen est inter initium boni operis, & boni operis nudum desiderium, nudumve conatum: nam initium boni operis est ipsum bonum opus inceptum: est enim ipsius boni operis exercitium, quamvis imperfectum: sic initium fidei est actus fidei imperfectus. At nudum desiderium boni operis, non est ipsum bonum opus, quod desideratur: id enim quod desideratur, & actus, quo desideratur, duo sunt: sicut duo sunt, id, quod videtur, & actus, quo videtur. Item qui conatur exercere bonum opus, non hoc ipso bonum opus exercet: sicut æger qui conatur surgere & ambulare, non hoc ipso surgit & ambulat. Quod verbis suprâ relatis Faustus significare voluit.

Ad comminiscenda initia illa iustitiæ & salutis, quæ in nobis essent ex solo vigore liberi arbitrii, quibus positus infallibiliter interiorem gratiam ad incipiendâ & perficiendâ virtutum opera necessariam obtineremus, non positus verò, ea privaremur, induciti sunt Semipelagianii, quia putant, 1. Libertatem hominis per Adam prævaricationem penitus extinctam esse in iis, quæ ad salutem pertinent, & ita in iis, quæ ad salutem pertinent, nihil ex arbitrii libertate superesse in præsentî statu, nisi supersit illi naturalis facultas credendi in medicum, desiderandi sanitatem & ad illam aditendi, querendi denique medicum sine adjutorio interioris gratiæ, ipsam volendi facultatem immediatè prævenientis & adjuvantis. Patet ex Cassiano collat. 13. cap. 12. ubi sic ait: *Nec enim talem Deus hominem fecisse credendus est,*

qui nec velit unquam, nec possit bonum (ex solis arbitrii viribus,) alioquin nec liberum ei permisset arbitrium, si ei tantummodo malum ut velit & possit, bonum verò à semetipso nec velle, nec posse concessit.

2. Exhortationes & correptiones fore inutiles, si per illas homo non potest excitari ad eliciendos aliquos actus salutare ex solis viribus naturæ, per quos actus interiorem gratiam ad salutem necessariam utcumque promereatur, & infallibiliter impetret. Patet ex Hilarii epistola ad S. Augustinum, ubi de Semipelagianis dicitur: *Afferunt inutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur, quod correptioni valeat excitare.*

3. Deum fore personarum acceptorem, si pro solo voluntatis suæ placito, quibus vellet, gratiam donaret, & quos vellet ab ea repelleret. Hoc sui erroris præsidium acceperant à Pelagianis, de quibus sic ait S. Augustinus in sua ad Sixtum epistola 105. *Personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant, quod sine ullis præcedentibus meritis, cuius vult miseretur, & quos dignatur, vocat.*

S. II.

Vehementer improbarunt Semipelagianii id, quod docebat S. Augustinus circa perseverantiam. Testatur hoc Hilarius in sua ad Augustinum epistola. *Molestè ferunt, inquit, ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò Sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. His verbis sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant quamdam desperationem hominibus exhiberi. Si enim, ajunt, ita Adam adjutus est, & ut stare posset in iustitia, & à iustitia declinare: & nunc ita Sancti iuvantur, ut declinare non possint, siquidem acceperunt eam volentis perseverantiam, ut aliud velle non possint; vel si quidam deseruntur, ut aut nec accedant, aut si accesserint, & recedant, ad illam (Adami) voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis, vel comminationis utilitatem, quæ & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem; non ad hanc, cui nolle iustitiam inevitabili necessitate conjunctum est, præter illos, qui sic concreati sunt his, qui cum universa massa damnati sunt, ut exciperentur per gratiam liberandi.*

Docuerat itaque S. Augustinus magnum discrimen esse inter gratiam Adamo innocenti datam ad perseverandum in statu innocentie, & gratiam, quæ nunc electis datur ad perseverandum in statu gratiæ; Adamum innocentem accepisse donum perseverantiæ, sine quo quidem perseverare non posset, sed quocum non esset necessariò perseverans; unde cum tali perseverantiæ adjutorio perseverare, vel non perseverare poterat pro arbitrio; adeoque Deus libero Adam innocentis arbitrio permiserat ejus perseverantiam in statu innocentie: Electos verò in præsentî statu accipere donum perseverantiæ, non solum sine quo perseverantes esse non possunt, sed etiam quocum non possunt non esse perseverantes: unde cum tali adjutorio perseverantiæ non possunt pro arbitrio esse vel non esse perseverantes; adeoque electorum perseverantiam in statu gratiæ libero eorum arbitrio Deus non relinquit, sed eam ipse certè & infallibiliter, vel etiam, si vis, ineluctabiliter & insuperabiliter procurat & operatur: Electorum denique nullum non perseverare, quia omnes accipiunt donum perseverantiæ, quocum, qui illud accipiunt, non possunt non perseverantes esse; cum è contra non electorum nullus perseveret, quia nullus ex non electis accipit donum perseverantiæ, sine quo, qui illud non accipiunt, perseverantes esse non possunt.

Hanc Augustini doctrinam putabant Semipelagianii nul-

nullum exhortationibus, minis & correptionibus locum relinquere; electis volendi, non electis verò nolendi iustitiam, fatalem necessitatem imponere; atque ita quandam assequendam salutis desperationem exhibere hominibus. Quibus malis ut occurrerent, docuerunt, Deum, sicut Adamo in statu innocentiae dederat adiutorium, quocumque perseverare posset, & si vellet perseveraret in statu innocentiae, ipsa perseverantia in ejus arbitrio relicta; ita nunc omnibus hominibus, qui ex solo vigore naturae credunt, credentes sanitatem desiderant, sanitatem desiderantes ad medicum suspirant, petendo, quarendo, pulsando, hoc qualicumque merito gratiam retribuere, quacumque perseverare possint, & si velint, perseverent in statu gratiae, ipsam interim perseverantiam permittendo eorum libero arbitrio: ita ut nihil praedestinati donetur, quod amittere vel retinere non possint propria voluntate, hoc est, quod non possint, prout voluerint, amittere vel retinere.

Patet ex Hilario in sua ad Augustinum epistola, haec de Semipelagianis scribente: *Quod autem dicit sanctitas tua, neminem perseverare, nisi perseverandi virtute percepta, hactenus accipiunt, ut quibus datur, inertes licet, praecedenti tamen proprio arbitrio tribuatur, quod ad hoc tantum liberum (per se scilicet, & excluso omni adiutorio superaddito) asserunt, ut velit vel nolit admittere medicinam ... Nolunt autem ita hanc perseverantiam predicari, ut vel non supplexiter emereri, vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, ubi eis, quantum putant, ad obtinendum vel amittendum, evidens est, quaecumque sit, initium voluntatis ... Ceterum quidlibet donatum sit praedestinati, id posse & amittere & retinere propria voluntate, contendunt.*

§. III.

In primis exhorrebant Semipelagiani gratuitam illam praedestinationem, qua ex pura misericordia Deus media cum assensione salutis certò & infallibiliter connexa praeparavit ab aeterno certis hominibus, qui idcirco electi dicuntur, reliquis in perditionis massa relictis, qui idcirco vocantur non electi, seu reprobi. Pro qua Praedestinatione Augustinus acerrimè pugnat contra Pelagianos. Semipelagianorum horrorem Prosper in sua ad Augustinum epistola exprimit his verbis: *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliae sint creati, & lapsi (dicunt) curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem repositae afferre. Superius dixerat: Multi ergo servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuae scriptis, quae adversus Pelagianos hereticos condidisti, contrarium putant Patrum opinionem, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.*

Aversabantur itaque Semipelagiani ut traditioni Patrum, & Ecclesiae sensui contrarium propositum illud, quo Sanctus Augustinus post Apostolum asserit, Deum ex pura misericordia, & ex solo voluntatis suae beneplacito praedestinasse perseverantiam finalem, & actus salutares omnes, etiam fidem ipsam eorum omnium, qui re ipsa salvantur, & vi hujus praedestinationis illis praeparasse media congrua, quibuscum in tempore credunt, & in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem certissimè perseverant, ceteris interim iusto, quamvis occulto, judicio in communi perditionis massa derelictis, non quidem per positivam à salute exclusionem ante absolutam praevisionem malae mortis, sed per negationem electionis eorum ad gloriam, & praeparationis beneficiorum, quibus liberarentur, & gloriam consequerentur.

Huic autem proposito substituerunt aliud, nempe decretum neminem admittendi in regnum caeleste,

nisi per gratiam baptismi, omnesque ad hanc gratiam indifferenter vocandi per legem, sive naturalem, sive scriptam, sive evangelicam, ut qui ex viribus naturae credere voluerint, merito credulitatis ad hanc gratiam perveniant; ea verò priventur demerito incredulitatis, qui credere noluerint; atque ita Deus bonitatem suam erga omnes homines ostendat, generaliter & indifferenter volendo omnes salvari, & ad agnitionem veritatis venire per media omnibus communia, & omnibus aequè proposita, quibus, qui rectè uterentur per vires naturales, omnibus ab auctore naturae concessas, credendo, & salutem desiderando, necessariam ad bonorum operum exercitium & perseverantiam, acciperent gratiam, atque bona opera exercentes, & in iustitia perseverantes, tandem consequerentur gloriam, velut mercedem bonorum operum, exercitorum ex viribus liberi arbitrii, & gratiae, merito credulitatis, & aliorum quorundam actuum naturalium retributæ.

Audiamus Prosperum, qui in sua ad Augustinum epistola, haec de Massiliensibus narrat: *Propositum autem vocantis gratiae in hoc omnino definitum, quod Deus constituerit, nullum in regnum suum nisi per Sacramentum regenerationis assumere, & ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per evangelicam praedicationem vocari, ut & qui voluerint, fiant filii Dei; & inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerint; quia iustitia Dei in eo sit, ut qui non crediderint, pereant; bonitas in eo appareat, si neminem repellat à vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire ... Itaque quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam aeternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxilium gratiae merito credulitatis acceperint, atque, ut supponitur, eo gratiae auxilio bene usi fuerint, & cum illo in statu iustitiae perseveraverint. Quod facere vel non facere possunt pro arbitrio: cum quidlibet donatum fuerit etiam his, qui salvantur, illud retinere vel amittere possint propria voluntate. Hanc porro fuisse Semipelagianorum mentem manifestum est ex dictis superius.*

§. IV.

Contendebant Semipelagiani Deum, quantum est ex se, aequaliter & indifferenter velle salutem omnium hominum, adeoque aequaliter & indifferenter paratum esse ad dandum omnibus hominibus gratias ad consequendam vitam aeternam necessarias, solumque expectare, ut secundum vires naturales, quas habent, credant, desiderant, conentur, orent; ita ut per ejusmodi actus quilibet promereatur, & infallibiliter accipiat gratiam, quam pro arbitrio retinere vel dimittere possit. Quod probatur ex Prospero, qui in sua ad Augustinum epistola scribit Semipelagianos docere, quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam aeternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte (hoc est, ex naturalibus liberi arbitrii viribus) crediderint, & auxilium gratiae merito credulitatis acceperint.

Hanc autem suam de aequali & indifferenti salvandi omnes homines voluntate, aequalique & indifferenti praeparatione gratiarum ad salutem necessariarum, quas unusquisque infallibiliter obtinere possit per naturales arbitrii vires, sententiam venditabant, ut aptissimam ad excitandum in hominum animis salutis & perfectionis evangelicae desiderium, qua potissimum ratione adducebantur, ut assererent non gratiam libero arbitrio, sed liberum arbitrium gratiae in negotio salutis praere. Dicebant enim, teste Prospero, *ita dum posse unumquemque ad correctionem aut ad profectum vocari, si se sciat sua diligentia bonum esse posse, & libertatem suam ob hoc Dei auxilio juvandam, si quod Deus mandavit, elegerit: ac sic cum in his, qui tempus acceperunt liberae voluntatis, duo sint, quae humanam operentur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia, priorem voluntatem obedientiam*

riam esse, quam gratiam, ut initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvatur: & voluntas hominis divine gratie sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subiciat voluntatem.

Quo sensu docuerunt Semipelagiani Deum velle omnium hominum salutem, eodem profecto voluerunt Christum mortuum esse pro omnibus hominibus. Itaque, ut refert Prosper in sua epistola, dicebant, pro universo humano genere mortuum esse Dominum nostrum Jesum Christum, & neminem prorsus à redemptione sanguinis ejus exceptum; eo sensu, quod propter meritum passionis & mortis Christi, omnibus hominibus aequaliter & indifferenter expositus esset gratiarum thesaurus, ex quo, qui vellent, hauriret merito naturalis fidei, desiderii, & orationis, quantum vellent; qui verò nollent, non hauriret; ita ut neque nolenti detur gratia, neque volenti denegetur. Unde sequebatur discretionem fidelis ab infideli, & iusti ab impio non à Deo, vel à Christo, aut à gratia, sed à naturalis fidei, desiderii, & orationis merito repetendam esse. Quod etiam expressè asseriebant Semipelagiani verbis suprà relatis ex epistola Prosperi.

Quando autem ab eis querebatur, cur his potius temporibus & nationibus, quam aliis, prædicaretur Evangelium; cum ante prædicationem Evangelii, nullarum nationum merita extitissent; respondebant Deum voluisse, ut annuntiaretur Evangelium his nationibus potius, quam aliis, quia prævidebat has nationes, & non illas, esse credituras, si Evangelium eis annuntiaretur; adeoque has nationes, & non illas Evangelium accepisse non ex mero voluntatis divine beneplacito, sed propter meritum naturalis fidei, sub conditione futuræ. Cum autem, inquit Hilarius ad Augustinum, dicitur eis, quare aliis, vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur, vel nunc prædicetur, quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit: dicunt id præsentie esse divine, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annuntiaretur, quando & ubi prævidebatur esse credenda.

Cum verò premerentur exemplo parvulorum, quorum alii cum baptismo moriuntur, alii verò sine baptismo, quamvis omnes in æquali nascantur damnatione, nec perventuri fuerint ad eam ætatem, in qua alii ab aliis possent se discernere, & consequenter posset esse ratio his potius, quam, illis imperiendi baptismi gratiam: respondebant Deum hos, non illos, baptizari voluisse, quia præviderat hos, non illos, si ad discretionis annos pervenirent, bono naturæ seu libero arbitrio bene uturos fuisse, credendo scilicet, desiderando sanitatem, ad medicum suspirando, & orando; atque ita hos parvulos ab illis discerni per actus bonos naturales ex solis arbitrii viribus futuros conditionatè.

Hoc testatur Prosper in sua ad Augustinum epistola. Cumque, inquit, inter hæc innumerabilium illis multitudo obicitur parvulorum, qui utique, excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei iudicio secernuntur; ut ante discretionem boni ac mali de usu vite huius auferendi, alii per regenerationem in celestis regni assumantur heredes, alii sine baptismo inter mortis perpetue transeant debitores: tales ajunt perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina præviderit.

Semipelagiani igitur pro parvulis, quorum alii baptizati, alii non baptizati migrant ex hac vita ante adultam ætatem, recurrerant ad actus bonos naturales, conditionatè tantum futuros, seu futuribiles tantum, quibus aiebant Deum ad baptismum his potius, quam illis, procurandum moveri: quo effugio nihil miserabilius excogitari poterat, & à talibus viris excogitarum miratur Augustinus lib. de præd. Sanctorum cap. 12. ubi sic ait: Unde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio, ut futura, que non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita parvulo-

rum. Merita merè futuribilia vocat S. Doctor merita futura, quæ non sunt futura, & quidem jure merito, quia non sunt futura absolutè, adeoque non sunt futura eo modo, qui secundum prudentem estimationem requiritur ad hoc, ut in ordine ad puniendum vel remunerandum, illorum possit haberi ratio. Quod enim nunquam erit, quantumvis foret, si poneretur aliqua conditio, non potest in ordine ad laudem vel vituperium majoris esse æstimabilitatis, quam merè possibile. Quod non videre non potuerit Massiliensis ipsi: sed quilibet devorare maluerunt, quam agnoscere inæqualem in Deo affectum circa salutem hominum, & gratuitam aliquam electorum à reprobis discretionem confiteri.

ARTICULUS V.

Utrum Semipelagiani admitterint necessitatem gratiæ irresistibilis & infrustrabilis ex natura sua, ad bona opera tum incipiendam tum perficiendam, & ad perseverantiam finalem.

RESPONSIO.

Semipelagiani nunquam admitterunt necessitatem talis gratiæ, sed è contra talem gratiam exhorruerunt, & constantissimè rejecerunt.

Prob. Nam existimantes, quamvis falsò, Semipelagiani S. Augustinum hoc Adamum inter & posteros ejus posuisse discrimen, quòd Adamo in statu innocentie data esset ad perseverandum gratia, cui posset pro arbitrio consentire vel dissentire; electis verò in statu naturæ lapsæ detur ad perseverandum gratia, cui resistere non possunt: adeò ut Adamo in statu innocentie liberum fuerit perseverare vel non perseverare; at electi in statu naturæ lapsæ necessariò perseverarent, ex intrinseca & antecedenti necessitate bonum faciendi, & malum vitandi; ceteris omnibus in perditionis massa ita derelictis, ut omni auxilio ad perseverandum idoneo destituantur: hoc omninò molestè tulerunt, & ita S. Augustini verbis commoti sunt, ut dicerent per ea hominibus desperationem exhiberi, & per ea omnem tolli utilitatem exhortationum & comminationum pro statu præstati naturæ lapsæ, illasque utiles non fuisse nisi in statu innocentie, si in hoc tantum statu, & non in præsentia, homo habuit idoneam ad bonum perseveranter volendum & operandum gratiam, cui consentire vel dissentire posset pro arbitrio, & quacum proinde posset pro arbitrio bonum velle vel non velle, operari vel non operari perseveranter. Patet ex Hilarii ad Augustinum verbis, suprà relatis art. 3. §. 2.

Confirm. Quia si Semipelagiani admitterunt necessitatem gratiæ dominantis, & necessitantis ab bonum volendum & operandum perseveranter, admitterunt donum perseverantiae, quod ab iis, quibus confertur amitti nullatenus potest, & quocum, qui illud accipiunt, non possunt non perseverare. Atqui Semipelagiani exhorruerunt omne donum, quocumque necessariò perseveraret, & auxilium quodlibet etiam electis datum ad perseverandum, quod propria voluntate amitti vel retineri non posset, ut testatur Hilarius in sua ad Augustinum epistola. Nolumus, inquit, ita hanc perseverantiam prædicari, ut non... amitti contumaciter possit... Caterum quilibet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propria voluntate concedunt. Ergo, &c.

Obj. 1. Semipelagiani docuerunt, gratiam, Adamo datam in statu innocentie, in hoc diversam fuisse à gratia, quæ in præsentia statu datur ad bonum volendum & operandum, quòd voluntas cum illa posset pro arbitrio velle vel non velle, operari vel non operari bonum; hæc verò dominetur voluntati, eamque ad volendum & agendum necessitet. Neg. Probabis, ex Hilario, de illis ita ad Augustinum scribente: Unde in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, ut illum, integris